

1495 litano regno capto , in animum induceret , etiam Sici-  
 liam insulam , quæ aliquando Galliæ regibus paruiſſet ,  
 eodem quo Neapolim jure velle ſuam facere . Ii cum ſuis  
 rebus timerent , Gallorum audaciam atque potentiam ve-  
 riti , exiſtimabant Venetos vicinitate periculi adductos ,  
 quod magnum regem in Italia pollentem viderent , eo-  
 dem in timore verſari , propterea quod res omnes publi-  
 cæ , validæ præſertim atque firmæ , ſuſpectæ ac formido-  
 loſæ ſunt regibus . Itaque Suari mandaverant , ut ſaluta-  
 to Principe , & Patribus , eos certiores faceret , *Seſe , quo  
 ipſi animo in Carolum eſſent , eodem eſſe Venetos exiſtima-  
 viſſe . quod ſi cavere ſibi ab illo cuperent , ſe paratos eſſe  
 una cum ipſis omnem fortunam experiri . ſcire ſe , qua pru-  
 dentia , qua fide Senatus Venetus eſſet : nemine cum rege  
 libentius , quam cum ipſo , fœdus percuffuros . venturum in  
 ſocietatem periculi Alexandrum Pontificem Maximum , qui  
 nihil æque cupiat , atque hoc , ut ipſos & Venetos ſibi con-  
 junctos habeat , quorum armis , ſi quid durius accidat , ſe  
 munire ac tueri poſſit . eo ſocio non minimum roboris atque  
 virium , plurimum quidem certe auctoritatis in commune ac-  
 ceſſurum : ut magnopere ſperandum ſit , ſi conſenſerint , o-  
 mnia proſpere atque feliciter caſura .* Ea legati oratio gra-  
 tiſſima fuit Patribus , quos jam Caroli rerum ſucceſſus  
 circumſpicere ſeſemet , & vereri multa cogebat , quæ am-  
 biguo adhuc eventu belli non æſtimabantur . Huc acce-  
 debat , quod Ludovicus ipſe diffidere Carolo cœperat ,  
 cum ob ejus literas imperioſiores ad ſe miſſas , quibus eum  
 literis rex Neapolim evocabat : tum propterea quod Jo-  
 annem Jacobum Triultium , quem quidem ipſe Medio-  
 lano expulerat , exulemque fecerat , hominem ſibi multis  
 de cauſis inimicum , Carolus ſuam in fidem apud Nea-  
 polim receperat : poſtremo , quod Aloifium propinquum  
 ſuum , quem Aſtæ relictum ſupra demonſtratum eſt , in-  
 de poſtea diſcedere Carolus noluerat . Eæ res , quod non-  
 nullam oſtendebant in Caroli animo ineſſe de Ludovici  
 fide ſuſpicionem , Ludovicum item ſuſpenſum animi fe-  
 cerant , quantum regi eſſet credendum . de eo ipſe apud  
 lega-